

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Paris, Bibliothèque nationale de France (*F-Pn*)  
Département de la musique  
Rés. 359, f. 5r-6r  
Transcription : Shin Nishimagi  
(décembre 2005)

<*Dialogus de musica* (exc.)>

Cf. GS 1, p. 252a-263b [1-2] ; Meyer Chr., *Mensura*, p. 93-97.

<sup>1</sup> <D.> Quid est Musica?

<sup>2</sup> M. Veraciter canendi scientia, et facilis ad canendi perfectionem via.

<sup>3</sup> Nam sicut magister omnes primum litteras ostendit in tabula, ita et musicus omnes cantilenae voces insinuat in monocordo, quod est lignum longum quadratum in modum capsae, et intus cavum in modum citharae, huic corda superposita sonat. <sup>4</sup> Cuius sonitu varietates vocum facile dinoscuntur, per medium enim capsae in longum linea recta ducitur, et relicto ab utroque capite unius unciae spacio in eadem linea, ab utraque parte punctus ponitur. <sup>5</sup> In relictis vero spaciis duo capitella collocantur, quae ita cordam super lineam suspensam teneant, ut tanta sit corda inter utraque capitella, quanta et linea quae sub corda est.

<sup>6</sup> D. Qualiter una corda multas et varias reddit voces?

<sup>7</sup> <M.> Litterae vel notae, quibus utuntur musici in linea, quae est sub corda, per ordinem positae sunt. <sup>8</sup> Dumque modulus inter lineam cordamque discurrit, per easdem litteras curtando <5v> vel elongando cordam omnem cantum mirabiliter facit. <sup>9</sup> Et dum pueris per ipsas litteras aliqua notatur antiphona, facilius et melius a corda discunt, quam si ab homine illam audirent. <sup>10</sup> Et post paucorum mensium tempus exercitati, ablata corda solo usu indubitanter proferunt, quod nunquam audierunt.

<sup>11</sup> D. Qualiter vel qua ratione fieri potest, ut melius quam homo doceat corda?

<sup>12</sup> M. Homo, prout voluerit vel potuerit, cantat, corda autem per supradictas litteras a sapientissimis hominibus tali est arte distincta, quod mentiri non potest, cum diligenter fuerit observata. <sup>13</sup> Nam bene hoc modo mensurata nunquam fallit.

<sup>14</sup> In primo capite monocordi ad punctum quem diximus .Γ. litteram, id est .G. grecum, pone. <sup>15</sup> Quae, quia raro est in usu, a multis non habetur.

<sup>16</sup> Ab ipsa .Γ. usque ad punctum quem in fine posuimus, per novem diligenter divide, et ubi prima nona pars finem fecerit prope .Γ., .A.

litteram scribe, et haec dicetur prima vox.<sup>17</sup> Ab eadem prima .A. similiter per novem usque ad finem partire, et in nona parte .B. litteram pro voce appone.<sup>18</sup> In omni autem divisione sive per novem, sive per quatuor sive per tres sive per duo, sicut modo fecisti, usque ad finem divide, et in primae partis termino scribe.<sup>19</sup> Deinde ad caput revertens, et divide a .Γ. per quatuor, et per voce tertia .C. litteram scribe.<sup>20</sup> A prima .A. similiter per quatuor partire, et pro voce quarta <6r> .D. litteram pone.<sup>21</sup> Eodem modo a secunda .B. divides, per IIII et invenies quintam .E. litteram depictam.<sup>22</sup> Tertia quoque .C. quadrata sextam insinuat .F. litteram figuratam.<sup>23</sup> Post hoc ad .Γ. revertere, et ab ipsa et ab aliis per ordinem, quae sequuntur predictam lineam divide in duas partes, id est per medium usque dum habeas voces quatuordecim vel quindecim absque .Γ.<sup>24</sup> Et dum voces per medium diviseris, dissimiles, sed easdem litteras facere debes.<sup>25</sup> Verbi gratia, dum a .Γ. per medium diviseris, pro .Γ. scribe .G., et pro .A. mediata pone similiter .a.<sup>26</sup> Similiter quoque et pro .B. aliam .h., et pro .C. aliam .c., et pro .D. aliam .d., et pro .E. aliam .e., et pro .F. aliam .f., et pro .G. aliam .g., pro .a. aliam .aa., ut a medietate.